

dignitas fuga impediuerat. Neque aliud periclitanti subsidium, quàm castra prima legionis: illic signa, & aquilam amplexus, ^a religione sese tutabatur: ac n̄ aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, ^b rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani, Romanis in castris sanguine suo altaria deum comaculauisset. Luce demum, postquam dux, & miles & facta noscebantur, ingressus castra Germanicus perducere ad se Plancum imperat, ^c recipitque in tribunal. Tum fatalem increpans rabiem, ^d neque militum, sed deum iram resurgere, cur venerint legati aperit: ius legationis, atque ipsius Planci grauem, & immeritum casum; simul quantum dedecoris adierit legio, facundè miseratur: attonitaque magis, quàm quieta concione, legatos praesidio auxiliarium equitum dimittit. Eo in metu arguere Germanicum omnes, quod non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia, & contra rebellis auxilium. ^e Satis superque missione & pecunia, & mollibus consultis peccatum: vel, si vilis ipsi salus, ^f cur filium paruulum, cur grauidam coniugem inter furentes, & omnis humani iuris violatores haberet? illos saltem auo, & ^g Reip. redderet. Diu cunctatus, aspernantem vxorem, cum se diuo Augusto ortam, ^h neque degenerem ad pericula testaretur, ⁱ postremo vterum eius, & communem filium multo cum fletu complexus, vt abiret, perpulit. Incedebat muliebri, & miserabile agmen, profuga ducis vxor paruulum sinu filium gerens, lamentantes circum amicorum coniuges, quæ simul trahebantur: nec minùs tristes qui manebant. Non florentis Cæsaris, neque suis in castris, sed velut in vrbe victa facies, gemitusque, ac planctus etiam militum aures oraque aduertere. Progrediuntur contuberniis, quis ille flebilis sonus? quod tam triste? fœminas inlustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriae vxoris, aut comitatus soliti, pergere

^a Sic lib. 3. hist. Et mi dato à duce praesidio de seculi forent, factum etiam inter externos gentes legatorum ius ante ipsa patriæ membra cuiuslibet rabies vique in exitum temerasset.

OBSERVATIONES.

a Signa militaria adeò sunt sacrosancta, vt, qui ea amplexi sunt, hos violare religio sit.

b Perrarò accidit, vt ius gentium violetur ledendis legatis, etiam inter insensibilissimos hostes, nedum inter suos, id quod si quando accidit, difficile dictu est, quàm atrox & indigna res videatur omni hominum generi.

c Legatus principis à duce exercitus, seu quo alio magistratu in tribunal recipi rectè potest.

d Qui apud seditiosos verba facit non tam culpam in milites ipsos conferre, quàm Deum iram, aut calamitati temporis quicquid mali accidit adscribere debet.

e Etiam atque etiam principi, aut duci exercitus cauendum est, ne nimia indulgentia adiuet, augeatque furorẽ seditiosorum militum.

f Cui sua ipsius salus vilis est, is, si in locis seditione inquinatis, non sine vitæ discrimine versatur, det operam vt eos saltem, qui aliquando reip. viles esse possunt, cuiusmodi sunt pueri, & adolescentuli, periculo excimat, ne & ipsa reip. semina extinguere voluisse videatur.

g Sciant singuli, ac potissimum principes, se non tam sibi, quàm reip. esse natos.

h Maximis viris prognati id debent imprimis cauere, ne ab summa illa virtute, qua maior res suos ad amplissimos dignitatis gradus extulit, degenerent.

i Quod maritus vxori non tribueret, neque hæc item marito, id vtique dat charitati communium liberorum, quos intelligunt se non tam sibi, aut ipsis, quàm reip. genuisse.